

REGI, REGINÆQUE REDUCIBUS

Matritense

JUBILUM, TRIPUDIUM, ILLUSTRAMENTUM.



HEXAMETRI

Excellentissimo ac Illustrissimo

D. D. Emmanueli Fernandez Varela,

TANQUAM REGIS AMANTISSIMO, CONSECRATI.



Fausta dies tibi, Mantua, dum Rex ventat in urbem!
 Hùc proventus, magno solvunt se omnia luctu.
 Vix propiùs; cives, et plebs stipantur in orbem;
 Invigilantque duces, stet miles promptus in armis.
 Ingreditur portam; confluit tarda senectus:
 Undique, plaudendi studio, gens tota vagatur;
 Circumfusa ruit, connitens visere Reges.
 Præcipitant pueri circùm, innuptæque puellæ,
 Exsiliunt hilares, currum contingere læti.
 Personuit clamorque virùm, strepitusque tubarum;
 Præceditque tripudia dulcis tibia flatu.
 Regis equi plumis, phaleris, auroque decori,
 Inflato collo, tumidique nitore jubarum,
 Lascivi exultant, cristas, crinesque moventes:
 Et quoniam Reges vectant, pompæque superbi,
 Ore etiam frænâ cunctos spumante minantur;
 Nos Regem venerabundosque timere monebant.
 Apparent aulæ domùm: stat magna caterva,
 Quæ plaudit, ridet, gestit, gaudetque secunda.
 Jamque fluunt, spirantibus euris, carbasa valvis,
 Quæ leni, et blando motu, comiterque cientur,
 Ac Regem, comitesque omnes, quasi tollere certant.
 Hic tum arcus surgunt, qui sydera tangere poscunt;
 Emicuere manu artificum dolata sagaci;
 Et monumenta superbis, tum, fulcita columnis.



Plurima perque vias cernuntur stragula passim,
Omnes perque viæ postes perstromata pendent.
Inde domùm splendent frontes, et longa viarum
Tensio, tecta simul nitido fulgentia luxu.
Nutat jam totum, vibrante, peripteron, auro.
Undulat urbs, fervet populus ceu fluctus aquarum:
Ludentes transegimus omnes festa per orbem.
Jam fessis, etiam restat tunc cordibus ardor
Gaudendi, et furor excitat adhuc nobilis artus.
At strepitusque silerent, quòd nox incubat atra;
Sed trudunt noctem, flammisque repellere certant;
Moxque ruunt omnes, tædisque incendia miscent:
Mille modis, variisque refulget lumen in urbe.
Multiplices videas emblemate stare figuras:
Proque modo sibi quisque suo antecellere nictat.
Nec mora, nec requies populo, sed noctibus errat
Quatuor; haud cessat, crepitantque tripudia plebis.
Commissarius at Bullæ, (non ritè latinum,
Nec cuiquam fas *Cruzadæ* componere versu;
Nupera sed sint in honore vocabula rerum.)
Ergo VARELLA, novumque et rarum mente paravit.
Hinc domus ampla VARELLÆ inter caput extulit omnes,
Quantum parva solent inter magalia turrets.
Extrema aggreditur; potuit quia posse videtur.
Regis amore profundit et aurum, artesque fatigat,
Quo melius mentemque, animumque expromat amantem.
Fronte domus perstabat mille coloribus Iris:
In medio graphicotera stabat Regis imago:
Hic stellæ, micantque simul cum lumine solis:
Tum leo, lilia, flores, splendent stemmata Regum.
Enitet aurati circùm sculptura leonis;
Quæ Regum vires, largamque manum indicat auro.
Quid moror? Et quorsùm vapidus tot verba profundo?
Ut Jovis alter temperat, et vim flectit Olympi.
Hinc adèd omnia mutantur contraria cursu,
Ut jus, et fas, callida non natura teneret.
Nequicquam Oceano properat se tingere Phœbus,
Nam Phaëtontis equi consistunt fræna timentes:
Et Phaëton loris compulsus sistere currum
Solis; equosque domus celeres contorsit in arcum:
Proinque ut starent VARELLA cœlestia pabula præstat.
Vixque VARELLÆ sol fulget; jam fama per omnes:
"Phœbo hoc stante novo, jam sydera cuncta vanescunt,
» Sydera cuncta ruunt solis fulgore VARELLÆ."
Constipant se illuc cives et sensibus hærent,
Stipantur cives, oculosque sub astra tenebant,
Suspensaque stupescunt mente molimina rerum.
Attonitus stabat populusque stupore madescit,

Ordine jamque novo rerum, ora patentia monstrant.
Tunc palmas tollunt, oculisque rigentibus adstant:
Hùc, illùc versant mentem: color omnibus unus:
Plausibus hinc produnt quæ verbis dicere nefas.
Interea symphonia mulcet suaviter aures.
Amphion saxa olim; tu quoque pectora volvis!
Ast hæc non obstant gentes portenta videre.
Nubila post apparet sæpè in nubibus arcus;
Sed tunc solùm adverso mittit sole colores.
Hìc, mirum! arcus, sydera, solque simulque refulgent.
Quid non tentet amor? quid frangere possit amantem?
Quid? quis tam rarum parvo unquam lemmate dictat?

CLARIOR POST NUBILA.

Quis paucis majora queat, nec plura profari?
Hic Regisque labores, pax, victoria, virtus
Fulgent: auctoris quoque et ingens mentis acumen.
Oh! Gallæcia nostra suum altè plaudat alumnum,
Et talem celebrare virum usquam Hispania sistat.
Atque, VARELLA, tuum maneat post sæcula nomen.



POETA LECTORI.

Carmina, non, mea quis nasu suspendat adunco,
Nam mirum fructus si prodat inhospita tellus.
Labitur à meta, non rarò, missa sagitta,
Nec semper feriet quò oculus, telumque minantur.
Quæ potuit cecinit, melioraque postulat auctor
Petrus Rodriguez Mirandaque nomine dictus,
Ordinis et de Mercede extat parvus alumnum,
Qui gaudet tres sexaginta implesse Decembros.

SAPHICI.

Protuli, dixique dies, et urbis
Publicos ludos, hilaresque plausus,
Candido Regi redeunti in arcem
Sospite cursu.

Reducem Regem celebremus omnes,
Conjugem claram, pariterque dulcem,
Qui dabunt cunctis bona pacis almæ
Pristina blandi.


Rege nil majus generatur unquam
Fata FERNANDO, meliusve Regno,
Atque tam excelsum dare, nequeuntque
Addere Divi.

Diceris magnus, meritoque Princeps;
Surgis, et bellare superba telis;
Civibus sed parcere promptus adstas,
Corde benignus.

Parca nec præcox rapiat VARELLAM;
Nestoris servetur in ævum, et ultra,
Ut pius tristes animos remulcet
Litus in æquum.

Pauperum ò fauctor, pater et patrone,
Te sub, et crescit, vegetatque nudus,
Sæva paupertas fugit; indè servas
Ære misellos.

Sospitem te Dì faveant, diùque
Charus intersis populo, VARELLA,
Neque te nostris vitiiis, malisque,
Occupet orcus.



7.720243